

Xh. ss.

Z c.

2985



XI, 55.

41 3861

h



J U S T A 15.

V I R O

dum in vivis erat

*Admodum Reverendo, Magnifico, Amplissimo  
& Excellentissimo*

DOMINO

Christiano Langio

SENIORI,

S. S. Theol. Doctori & Professori

celeberrimo, Facultatis Theol. Consistorii Eccle-  
siastici & Nationis Misnicæ Seniori, Ecclesiæ Cathedralis  
ingenuæ Misnensis Decano, Collegii Principum majoris Col-  
legiato, Academia Decemviro, Ecclesiæ Thomanæ Pastori  
& diœcesis hujus Superintendenti, de singulis  
Collegiis meritisimo,

*proximo post ascensionis Dominica, quæ Beatissimo  
fuit emortualis, diem 21. sc. Maji anno 1658. anniver-  
sariæ memoria loco in aëro at erio Collegij majoris, fre-  
quenti Procerum consessu*

soluta

ab

HIERONYMO KROMAYERO,

S. S. Th. Doct. & Prof. P.

---

L I P S I Æ

Typis Hæred. HENNINGI KÖLERI.

LISTA

VIRID

durum virens

Admonitione Reverendi Patris

& Fratris

Domini

Christiano Langio

STRIORI

S. S. Theol. Doct. & Prof.



celebratus

habet & tenet

in suo

regio

& de eccle

proximo

san

san

HERONYMO KRÖMAYERO

S. S. Theol. Doct. & Prof.

VIRID

durum virens





*In nomine S. S. atq; individue Trinitatis, DEI  
Patris, Filij & Spiritus Sancti  
Amen.*



Ala aurea in  
sculpturis argenteis  
verbum prolatum in  
tempore, *Magnifice*  
*Academiae Rector, Viri*  
*Adm. Reverendi, Ma-*  
*gnifici, Amplissimi, Con-*  
*sultissimi, Experientissimi, Spectabiles, Excellen-*  
*tissimi, Clarissimi, Per Eximij, Praest. Tuq; cir-*  
*cumfusa Studiosa juventutis corona lectissima,*  
de verbis appositè prolatis & tempori con-  
gruentibus Rex Sapiens scriptum reliquit.  
In fontibus paulo aliter habet: Mala aurea in  
cancellaturis argenteis verbum dictum se-  
cundùm ambas facies suas. Sed si facies

A 2

has

has de iis, quæ recta & rectè dicuntur, cum Interpretibus quibusdam exponimus, à versione Megalandri LUTHERI, qui mentem sapientissimi Regis penitiùs introspexisse videtur, sensus non procul abscedet. Id quod altiùs expendentem non incongruum & à tempore alienum putamus, si Viro de hac Academia & Ecclesia meritissimo Domino D. CHRISTIANO LANGIO Seniori, Professore Theologo veterano, Pastori & Superintendenti dioceseos hujus sempiternâ memoriâ dignissimo justa hâc die solvamus. Faciem unam sermonis hujus spectantes, cum & merita Viri tanti & exempla majorum id poscant, recta nos dicturos confidimus. Si faciem alteram spectamus, cum hesternò die verterit in orbem Dominicæ ascensionis dies, quo Salvatorem suum Antesignanum Beatissimus LANGIUS noster secutus, ex corporis ergastulo quantum ad animam εἰς τ' ἀνώτερον καλῶν conscenderit, ex angustis ad augusta, ex asperis ad astra contenderit, & rectè, vel tempori congruè  
nos

nos dicturos confidimus. Quantumvis autem rerum copia tanta nos circumstet, cum, si Plautissare licet, prolixam historiam sustinuerit ὁ μακαρίτης LANGIUS noster, ut, quid edecumandum, quid insuper habendum, ὡς Ἐπὶ πλάσει & constituti videamur, *seminium* tamen *pietatis* & *messis felicitatis* in exemplum Theologiæ consecraneis proponenda palato nostro pro tempore arrisit. De quibus etiam per semissem, aut dodrantem forsitan horæ, DEO juvante, verba impræsentiarum sumus facturi. Apud *Vestras saltem Magnificentias, Amplitudines, Excellentias & Claritates*, ut favore atq; benevolentia suâ cursum orationis sublevare velint, etiam etiamque contendo.

QVod divina Majestas de Propheta Jeremia dicebat: Cum adhuc esses in utero matris separavi te, & ad officium Propheticum destinavi, de Beatissimo nostro D. LANGIO, si vitæ spectamus initia, non immeritò quoque dicere possumus. Patria quippe, Parentes, educatio licet ita fuerint comparata, ut ad scopum, quem in ætate virili attigit, parùm facere posse viderentur, divina tamen providentia directrice, ad eundem assequendum emolumentum omninò multum obtinuerunt. In lucem editus fuit anno superioris seculi 85. præcipi-

tante, in pago Palæopyrgo molendino celebri non  
procul ab illustri Gymnasio Portensi sito. Fuit hoc  
Gymnasium Monachorum quondam Cisterciensium  
(à Cistercio, loco Galliae nemoribus densissimis inclu-  
so, ubi cæpit hic ordo, sic dictorum) in amænissima  
Thuringiæ valle, Sala fluvio irrigua conditum cæno-  
bium. Cum enim Sanctus Bernhardus de clara valle  
huic ordini fuerit addictus, in vallibus; non secus ac  
Pater Monachorum occidentis Benedictus de Claro-  
monte in montibus pro suis extrui cænobia voluerunt  
secundum versum:

Bernhardus valles, montes Benedictus amabat.  
Sic, ut Cisterciensium hoc cænobium Numburgo vic-  
nissimum in valle, id quod Cizæ imminet Benedictino-  
rum quondam in monte vitibus circumdato ad Ely-  
strum præterfluentem fuit extractum, jam solis ruder-  
ibus conspicuum. Utriusque Hospinianus, scriptor Hel-  
veticus, in prolixo suo de Monachis opere mentionem  
facit. Portæ nomen accepit à faucibus inter angustias  
montium iter in Thuringiam monstrantibus, ubi pri-  
mum erectum (ejusmodi enim fauces Germani vocare  
solent *Pforten*) & hoc nomen postmodum in vallem  
dictam translatum, ubi etiamnum hæret, retinuit. MAU-  
RITIUS vero Saxoniae Dux & Elector gloriosissimæ re-  
cordationis locum hunc Musis consecratum Scholam  
provincialem esse voluit: ex qua etiam Viri doctissimi  
numero plures intra spacium seculi velut ex eqvo Tro-  
jano prodierunt, qui suis studiis *choro, foro & thoro* insi-  
gniter velificati fuerunt. Ad Parentes obscuro quidem  
loco natos, integerrimos tamen, ortum suum retulit: &  
Patrem quidem Virum antiqua pietate ac fide MICHAEL-  
LEM LANGIUM in Gymnasio dicto Zythepsam: ma-  
trem



trem probitatis & virtutis exemplar MARGARITAM  
KILIANI BRAUERI, Prætoris ibidem pagani filiam.  
Locus nativitatis utut parum lucis Beatissimo Domino  
Superintendenti nostro attulerit, ipse tamen patriæ suæ  
novam lucem accendit: licet studiorum adminicula  
pauca, vel potius omninò nulla subministrare potuerit,  
Vacunæ tamen & luxuriæ instrumenta sustulit: quin et-  
iam ita comparatus fuit, ut timor DOMINI, sapientiæ  
initium, parvulo innocenti commodius, absq; remoris  
in magnis urbibus pasim obviis, commodius instillari  
potuerit. A Parentibus si non magnas divitias, juven-  
tutis multoties everricula, divinam tamen benedictio-  
nem, & preces ad scopum, quem feliciter attigit, vela  
& remos Testamento paterno sibi habuit relicta. De  
Megalandro Luthero refert Porta in consiliis suis, quòd  
præter aliquot argentea vasa judicem viduarum & Pa-  
trem orphanorum uxori & liberis suis Testamento lega-  
verit. Pari modo Beatissimi nostri LANGII Parens,  
cum quadrimulo præmatura morte jam esset subducen-  
dus, divinam ipsi benedictionem Testamento reliquit.  
Hunc enim filium Musis destinaverat, & ne post mor-  
tem suam ab iisdem avelleretur, matrem & cognatos ob-  
testatus erat, certus (ut morti proximi sæpius eventus  
futuros præfagiunt, vocemq; fatidicam emittunt) DEUM  
ex hoc ligno sculpturum Mercurium, i. e. Virum do-  
ctum, Ecclesiæ & Scholis vas utile producturum. Et  
hic Patronus Opt. Maximus orphanis esse solet adjutor:  
Susceptor eorum, quos Parentes destituunt. Hujus  
manibus, inquit Lutherus, lignum rude ac impositum  
committe, talemq; sibi sculpet inde Mercurium, quem  
fatis admirari non poteris. Quod si vadem dictorum  
vocare liceret experientiam, inductione, quæ propius  
ad

ad didascalicam accederet, plerosq; ad honorum fastigia evectos & summis muneribus destinatos, fuisse orphanos, probare ausim. Post mortem itaq; Patris desideratissimi conclamata jam pueruli vix balbutientis videbatur fortuna, sed, fatis ita volentibus, comes individuus ipsi jungebatur. Educationis onus jam in humeros matris viduæ pauperculæ devolutum gravius videbatur, quàm ut esset ferundo, sed precibus, sed lachrymis levabatur. Quod de Augustino Monicæ matris precibus & lachrymis Christo lucrefacto dicebatur: Impossibile esse, ut filius tot lachrymarum pereat, de nostro D. LANGIO jure quoq; dici poterat. Precibus itaq; ac lachrymis curas maternas, ut suprema Patris voluntas ad impleretur, jungebat, & ut à teneris ungviculis filiulus orbis præceptis Catecheticis & bonarum literarum initiis imbueretur, nihil reliquum faciebat. Quo minus credebatur, eò magis hæc educatio consilium divinum de hoc organo promovebat. Mittebatur puerulus Numburgum ad quadrantem plus minus milliaris Germanici, nudipes, viis multoties inviis, cælo vel fudo nimis, vel udo, aurâ ningvidâ, urente frigore tenuissimo instructus victu, quò fundamenta in schola triviali dicti loci jaceret, & iisdem aliquando ex umbra productus in lucem superstruere posset. Quâ ratione Sirenum prætervectus scopulos in tranquillo navigare, calum in adversis à pueritia sua ducere, tempusq; , cujus *αιάλωμα πικυτελέσειτον*, præsertim cum tanto sibi constaret, redimere didicit. Animum sibi sæpiùs additum fuisse ab Avia mea, Gymnasii Portensis tum temporis Rectoris M. JACOBI LINDNERI Conjuge, NICOLAI SELNECCERI filia, in sacrobaptismi lavacro susceptrice sua, quòd in hoc stadio strenuè peregrè, nec ad-

versis

versis cedere, debeat, spe nixus præmiorum, quæ certo certius essent secutura, commemorantem audivi. Quàm accurata etiam fuerit educatio, eventus docuit, cum fructum laborum & sollicitudinum suarum, supremos in Theologia honores, Doctores sc. filio conferri (quanto cum gaudio, maternum affectum teneriorem exactius ponderentibus conjectu erit in proclivi) αὐτὸ πρῶτον cerneret mater. Cùm ita nihil in cursu remitteret, ecce felicitas, quæ Beatissimo nostro cælitus destinata, crescentibus annis se magis magisque exerere, quamque per-texturaerat, ordiri telam incipit. Circa pubertatis enim interliminium constitutus, illustris Gymnasii Portensis, & quidem in locum Nobilissimorum à Marschalek in Jüßerstedt alumnus suscipitur, ubi non tantum de victu & amictu liberaliùs ipsi præspicitur, sed etiam jam ad lingvas cardinales, artes Logicas & disciplinarum initia valvæ bipatentes ipsi aperiuntur. Aliis de folido die non nihil decerpentibus, & ludicris vel animi gratia, vel fallendi temporis ergò dātibus, ipse cellæ suæ, ut cochlea testæ, indivulsus adhæsit, inprimis Θεοσεβειῶν εὐνοιοφίαν ratus lectioni sacrarum literarum, quicquid aliis studiis succidere poterat temporis, dabat. Nec bonas horas malè, cùm liber hic κατ' ἐξοχὴν Bibliorum nomine dictus quantum ad antiquitatem, majestatem, utilitatem & certitudinem omnes omnium Bibliothecarum libros infinito intervallo antecellat. De quo rectius, quàm de scriptoribus Græcis admonitio, præsertim ad Christianos institui posset:

— — — Vos Biblia Sacra  
Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.

B

Melio-

Meliorē enim jam partem cum Maria elegerat: unde postmodum etiam in Academia studium hoc indefessæ lectionis Bibliorum sacrorum continuavit, eòq; profecit, ut de ipso diceretur: Bibliorum jacturâ factâ, ex ipsius memoria, quantum ad articulos creditu necessarios, reparari posse. Si verum est, quod alicubi dicit Julius Cæsar Scaliger, nihil beatius, quam discere, certè de profectibus ex sacrarum literarum lectione dici potest. Instar Oceani enim vel venæ metallicæ est Scriptura S. cujus sensus profundissimus non satis penetrari, nec latentes in illa thesauri satis erui possunt. Decies, aut centies aliquis eandem lectione percurret, semper aliquid novi, præsertim diligenti factâ collatione, invenerit, quod antea vel non satis intellexit, vel pensi non habuit. Nullus in scripturis est apex, secundū scitum istud Hebræorum, à quo non pendeant magni doctrinarum montes. Hoc etiam ex assidua ista Bibliorum lectione redundabat ad ipsum commodi, ut eloquia divina in succum & sanguinem verteret. Quicquid dicebat verba salutis erant. Commilitones nactus erat egregios, ex parte postmodum inter Professores Theologos Collegas suos, utpote inter veteranos JOHANNEM HÖPNERUM S. S. Theol. Doctorem, Professore publicum & diæceseos hujus Lipsiensis Superintendententem, inter συγγερονς PAULUM RÖBERUM S. S. Th. Doctorem, in Academia Wittebergensi Prof. publ. Ecclesiarum Saxonici circuli Ephorum, MAURITIUM BURCHARDUM, S. S. Theol. Doctorem & in hoc loco Professore publicum, JOHANNEM WINTERUM, S. S. Theol. Doctorem & Ecclesiæ Torgaviensis Superintendententem, quorum conversatione, ut culter cultrum acuit, extimulari magis magisq; potuit. Cum itaq; sexen-

sexennium suum, in lingvis, artibus liberalibus & disciplinarum initiis egregia comparata supellectile, ibidem exegisset, honesto munitus testimonio, & ad aulam Illustrissimam pro impetrando stipendio systickis, in Academiam Lipsiensem anno currentis seculi sexto se contulit. Sic vara traxit vibiam, subsidium studiorum primum, quod in illustri Gymnasio Portensi nactus erat, subsidium etiam vitæ Academiæ post se traxit. Quare voti compos factus & in numerum alumnorum electoralium cooptatus Superintendens ὁ μὲν αὖτις ad pedes Dnorum Professorum tam Philosophorum, quam Theologorum indefessus sedit, in primis ab ore Dominorum Inspectorum D. BURCHARDI HARBARTI & L. JOHANNIS MÜLMANNI, S. S. Theol. Professorum ἀπεὶξ̄ pependit, nec minus vitæ integritate, cui se consecraverat, studium ornavit. In primis exemplum Timothei, qui sacras literas à puero didicerat, ob oculos sibi ponens in lectione ac meditatione sacrarum literarum, præcipuo studii Theologici requisito, totus erat & assiduus, scripta Theologorum orthodoxorum familiarissima sibi reddebat, & adversus heterodoxiam armis spiritualibus se muniebat. Huic etiam alterum requisitum, orationem ad DEUM indefessam jungebat, orando se DEUM alloqui, sacras literas versando, se DEUM secum loquentem audire persuasus. Pietatis itaq; promissiones hujus & futuræ vitæ habentis fructus primò sensit in gradibus honorum ad quos pedetentim paulatim diversis in Facultatibus conscendit. Primitias honorum Philosophicorum, lauri baccas, Magisterii titulus, quo tanquam publico studiorum suorum non vulgarium testimonio anno currentis seculi undecimo condecorabatur, excepit. Sed quia plus

ultra mens enthea ferebatur, & literas humaniores tanquam viaticum ad Facultatem superiorem, cui se addixerat, afferre cogitabat, totus & unus erat in hoc, ut in Theologia, quam cum lacte ferè materno efflictim deperire ceperat, omni promotione dignum se redderet. Voto respondit eventus, cum, factis faciendis, bonorum omnium applausu S. S. Theologiæ Baccalaureus anno seculi labentis 20. Licentiatus anno trigesimo in eunte crearetur: ad Doctoratus apicem eodem anno intra jubilæi secularis festivitatem pertingeret. His pietatis fructibus affines fuerunt alii, officia sc. honorata, quin & splendida, quæ Beatissimo nostro LANGIOTUM propter eruditionem Theologicam non ubivis obviam, tum propter *χαρισματα* singularia, tum propter senilè experientia, tum propter merita in ecclesiam interdum nihil minus cogitanti *ως ἀπὸ μηχανῆς* offerrebatur. Sparta prima demandabatur ipsi Pastoratus Meichselwitzensis anno seculi præsentis 14. à quo licet ægrè avellebatur, cum carissimus esset auditoribus, DEO tamen ad functionè adhuc ampliorem, Pastoratum Ecclesiæ Luccaviensis & adjuncturam ephoriæ Altenburgicæ, post præterlapsum quadriennii spacium, ipsum transferre placuit. Non dum efflueret annus, & ad majora talenti sibi crediti lucra Lipsiam ab Amplissimo Senatu vocatur, vel potius, cum pridem ab hoc loco propter Svadam insignem desideratus abiisset, retrahitur. A Diaconatu in Ecclesia Nicolaitana per omnes gradus ad ipsam usq; ephoriam, summum laborum in Ministerio culmen, conscendit. Ad Archidiaconatum in templo Thomano anno seculi labentis 28. ad Pastoratum ejusdem ædis post beatam analysin Pastoris & Superintendentis omni laude majoris Domini D. POLYCARPI LYSERI, quem



quem vidit annus hujus seculi 33. fuit evectus. Nec  
 ulterius in his suis functionibus Ecclesiasticis, quam ad  
 ephoriam Ecclesiarum hujus dioeceseos progredi pote-  
 rat, quæ post beatam ex terrenis hifce fecibus emigratio-  
 nem Superintendentis de hoc loco meritisimi, Domini  
 D. JOHANNIS HÖPNERI, ad Domin. D. LANGIUM  
 seculi hujus adulti anno 45. fuit devoluta. Dignitatibus  
 & officiis Ecclesiasticis accesserunt Academica, quibus  
 etiam coronidem *ὁ μακαρίτης* imposuit. Professuriam  
 enim dignitatem anno 29. seculi hujus consecutus post  
 quadriennium, cum professio tertia Ipsi fuisset, deman-  
 data, alumnorum Elect. Ephorus ab Electore Serenis-  
 simo communi *χειροτονία* 4. Nationum Canonicus Ci-  
 zensis fuit electus, & cum rebus humanis exemptus esset  
 Theologus magni nominis D. HEINRICUS HÖPNE-  
 RUS, professio secunda, Canonicatus Misnensis, locus  
 in Consistorio Electorali, & Decemviratus *τῶν ἐν ἐπιφραία*  
 nostro Domino Superintendenti LANGIO cesserunt.  
 His omnibus veluti *δεξιότατος* Senioratus in Fac. Theol.  
 & Natione Misnica nec non Collegiatura in Collegio  
 Principum Majori supervenit. Dignitates ambulato-  
 rias Rectoratus, Decanatus, Pro Cancellariatus, Præpo-  
 situræ in Collegiis & pagis vetustioribus, cum quibus  
 aliquoties fuit, sicco hic pede præterimus. In Ecclesia  
 ingenua cathedrali Misnensi, quæ vel paucas, ut Bam-  
 bergensem & Ratisbonensem, vel, ut alii volunt, nul-  
 lam amplius quantum ad ingenuitatis titulum (quod  
 se. Archiepiscopali non sit subjecta) in Germania  
 comparem agnoscit, per aliquot gradus custodiæ, Can-  
 toriæ ad ipsum Decanatum perrexit. Nonne Mercu-  
 rius elegans ex hoc ligno, ceu videbatur, minus apto  
 fuit sculptus? Quæ gloria major, nisi nobili, vel illu-



stri loco natis, alicui posset obtingere? Rara hæc sunt  
exempla, & inter homines loco humiliore natos minus  
obvia. Hæc præmiâ pietati *ἡ ἐλλογιμοτάτη* promissio-  
nes hujus & futuræ vitæ habenti divinitus fuere desti-  
nata. Quò plus vero dignitates augebantur, eò  
magis publico laboribus suis concatenatis & Herculeis  
velificari nitebatur. Utrâq; manu muros Hierosoly-  
mæ inclinatos doctrinâ sc. & vitâ ædificabat. Nec  
vivâ duntaxat voce, sed & scriptis, quæ non sine ma-  
gno emolumento jam plurimum teruntur manibus & Ec-  
clesiæ serviunt usibus, posteritatem informabat. Ho-  
merum pingunt, ac si flores omnis generis, quos Musæ  
calathis excipiant, ore suo dulcisono spargat. Habe-  
bat & hic studiosa juvenus flores fragrantissimos, vel  
potius gemmas & margaritas, quas ab aureo Chryso-  
stomi hujus ore legere poterat. Quàm dextrè, quàm  
perspicuè pro cathedra Theologica utramq; Petrinam  
epistolam, Evangelium Johannis, epistolam ad He-  
bræos, Jacobi, Johannis Canonicam sic dictam, & har-  
moniam Evangelistarum super historiam passionis, re-  
surrectionis & ascensionis Dominicæ enucleabat? In  
disputationib<sup>9</sup> publicis quàm providus, quàm tenax fa-  
norum verborum? In animarum regimine, arte artium  
& scientia scientiarum, quàm industrius, quàm sedulus,  
quàm imperterritus? Pro suggestu in credendis quàm  
*διδασκλικός*, in refutandis quàm *ελεγκτικός*, in faciendis  
quàm *παιδαγωγικός*, in fugiendis quàm *επιανορθωτικός*? In-  
primis gratam sui memoriam reliquit, quòd ante annos  
30. & quod excurrit, quibusdam Theologiæ Candida-  
tis idipsum petentibus Collegium in æde Paulina Con-  
cionatorium aperuit, in hunc usq; diem ab addictis huic  
studio continuatum, ex quo certatim prodierunt, qui  
sum-



summis Doctoratus & Licentiæ gradibus condecorati, aut ad Ephorias Ecclesiasticas fuere promoti. *Μεγάλη χάρις αὐτῶν.* Inter honores & functiones Ecclesiasticas constitutus medius, cum, quod semel erat ingressus, pietatis stadium decurreret, en tertius pietatis fructus *ὀψαμια* & *εὐτεχνία* progerminat, & ad posteritatem se luculenter exerit. Vitæ quippe socias ad votum (ut inter dona divina non ultimo loco ponenda est commoda uxor) accepit duas præstantissimas. Prima fuit Virgo patrima, omni bonorum genere cumulatissima CATHARINA, Viri plurimum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi Domini M. JOHANNIS FEILERI, Pastoris & Superintendentis Pegaviensis meritisimi (cujus donum est hæc Megalandri Lutheri effigies) dilecta quondam filia, quam sidere felici anno 1614. sibi junctam inter *ἀντιφιλοσεως* certamina mense Novembri anno 1624. ad æternæ tranquillitatis portum præmisit. Altera fuit Virgo tum temporis florentissima, sui sexus & ævi ornamentum haut vulgare MARGARITA Viri Præstantissimi & Egregii Domini THOMÆ SCHURERI, civis & Bibliopoliæ nominatissimi, propter impensas in libros utilissimos factas de re literaria præclarè meriti filia, per annos 32. ad supremum usq; halitum collateralis optima. *εὐτεχνία* vero ex utraq; Conjuge tanta fuit, ut exemplum hic ipse locus inter eos, qui vel natales, vel educationem eidem debuerunt, ignorare videatur. Tribus enim Facultatibus Theologicæ, Juridicæ ac Medicæ Doctores, eosq; non è trivio, sed planè insignes dedit, qui vel propter hoc solum beneficium in publicum collatum, ut nobilium ordini adscriberetur, quemadmodum de Parentibus ejusmodi circumfertur dicterium, fuit pro-  
meri-

meritus. Ex priore quidem matrimonio præsentem vi-  
demus Virum Admodum Reverendum, Amplissimum  
& Excellentissimum Dn. SAMUELEM LAN-  
GIUM S. S. Th. Doctorem, Pastorem & Superinten-  
dentem Pegaviensem benè meritissimum, Theologum  
præclarissimum, Parentem alterum, Avo materno post  
obitum M U L M A N N I successorem datum. Ut  
ætate, sic loco proximum conspiciamus Virum Am-  
plissimum, Experientissimum & Excellentissimum Dn.  
CHRISTIANUM LANGIUM, Phil. & Med.  
Doctorem celeberrimum, Pathologiæ Professore pu-  
blicum ingeniosissimum Fac. Medicæ Seniore, Aca-  
demiæ Decem Virum, & Collegii Princ. majoris Colle-  
giatum, h. t. Præpositum, Practicum felicissimum & fa-  
migeratissimum, Virum summis in hac ante luminibus  
accensendum, Academiæ certè decus & ornamentum  
eximium. Quanto gaudio antetriennium perfuderit  
Parentem senem hic Filius exoptatissimus, cum ex di-  
gnitate ac utilitate publica fasces Reçtorales gereret, qui  
norunt affectum paternum, colligere faciliè possunt.  
Ex matrimonio posteriore absentem tanquam præsen-  
tem nominamus Virum Consultissimum, Excellentis-  
simum & Clarissim. D. THOMAM LANGIUM,  
J. U. D. & Practicum in Imperiali Franckofurdo ad  
Mœnum dexterrimum, familiis ibidem splendidis in-  
sertum. Tertius ex priore matrimonio Dominus JO-  
HANNES LANGIUS antiquissimum & inno-  
centissimum vitæ genus secutus ex prædiorum rediti-  
bus vivit integritate ac honestate nemini secundus. Præ-  
clara quoq; minantur ex posteriore matrimonio natu-  
mini Dn. GODOFREDUS & Dn. CHRISTO-  
PHORUS in hac Academia studiis operam præcla-  
ram

ram navantes, quibus, ut scopum à Domino Parente  
 præfixum feliciter attingant, animitus apprecamur. Nec  
 minus *Ἐπιτυχίας* hujus felicitas in elocatione filiarum  
 gnaviter educatarum eluxit, cum natu major ex secun-  
 do matrimonio Virgo tum temporis primiceria, virtu-  
 tum sui sexus speculum amussitatum MARGARITA  
 Viro Experientissimo, Excellentissimo & Clarissimo  
 Domino SIGISMUNDO RUPERTO SULTZ-  
 BERGERO, magni Parentis, Archiatri Electoralis, fi-  
 lio cognomini & congeneri, Phil. & Medic. Doctore  
 dignissimo, Practico felicissimo, Viro doctissimo per  
 vestigia Parentis ad honorum fastigia evehendo, juga-  
 lis svavisissima cesit. Natu minor, Virgo itidem sele-  
 ctissima CATHARINA MARIA Viro præstan-  
 tissimo & maximè industrio Domino MICHAELI  
 PLANCCIO civi ac Mercatori non malæ notæ col-  
 lateralis fuit addita, quæ licet obitu suo Dn. Parentem  
 anteverterit, in filiola tamen MARIA MARGARITA  
 etiamnum vivit. Quod si de nepotibus etiam injicere  
 vellemus (18. enim liberorum Parens, 15. Avus factus  
 fuit *ὁ μακαρίτης* noster) amplissimus dicendi campus no-  
 bis aperiretur: Verum, cum id prolixius factum fuerit  
 in vitæ curriculo concioni funebri annexo, actum hinc  
 agere nolumus. Ad has dignitates, officia splendida,  
*Ἐπιτυχίας* & *Ἐπιτυχίας* quærentibus ante omnia regnum DEI  
 promissum *Ἰησοῦ ἐγὼ* accessit: quo bono ut quàm diu-  
 tissimè fruantur Et nati natorum, & qui nascentur  
 ab ipsis, ut sint benedicti DOMINI & benedictionis  
 exemplar, ex imis cordis penetralibus apprecamur.  
 Quartus tandem felicitatis fructus (præcipuos enim  
 duntaxat in multos alios se diffundentes hinc attigisse ju-  
 vat) fuit *Ἐπιτυχίας*, caractere quodam notabili signata.

C

Inter

Inter fastigia felicitatis hanc esse ponendam, vel ex eò, quòd absq; illa felicitas homini nulla possit obtingere, in concessio erit & in confesso.

*Nil præter lacrymas, hæc & suspiria vita est,*

*Quæ si sine bono clauditur acta, sat est.*

*Omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est.*

Optarunt & illam gentiles, sed in illuni errorum nocte versantes pro dolorum carentia, vel imminutione acceperunt. Vera & *ἁγία*, qualem Simeon CHRISTUM ulnis amplexus sibi exoptavit, ut in pace dimitteretur, & per umbrosam mortis vallem SALVATOREM suum ducem & lucem præviam haberet, Domino Superintendenti nostro piæ recordationis obtigit. Cùm enim Christianus non tantum dici, sed & per omnem vitam suam esse vellet, malè mori non poterat, qui tam benè vixerat. Qualem in officiis sibi demandatis hic servus bonus & fidelis se gesserit, digitis extremis instituti rationem habentes jam attigimus. In reliquis paries erat intergerinus precibus suis ardentissimis calamitatibus publicis se opponens; Exules verbi Ministros, in re angusta constitutos bonarum literarum studiosos & egenos quoscunq; (*ὃν ἔπαύειν ὃ τὸ συμπάθειν* didicerat) pro viribus & facultatibus levabat, concordia vinculum inter Collegas arctissimè constringebat, suoq; mansuetudinis, humilitatis, patientiæ, præsertim in rebus adversis & morbis chronicis, exemplo aliis prælucebat. Annorum ita, laborum, honorum & meritorum saturimum, septuagenario duobus circiter annis majorem, ad viam omnis carnis ineundam diu paratum, ipso ascensionis suæ die illucescente, circa quartam matutinam, ad primum horologii pulsus, in vera sui nominis invocatione, cùm paulo ante solatiis efficacissimis erectus bene-

benedictionem Ecclesiasticam à Domino Collega suo,  
Viro Adm. Reuerendo, Magnifico & Amplissimo Dn.  
D. JOHANNES HÜLSEMANNO, Theologo summo &  
in Superintendentia dioceseos Successore suo accepisset,  
& manu cordi apposita promissiones gratiæ sibi applicasset,  
Saluator, mansionarius designator, per beatam analysin post se traxit,  
inque throno suo, ut ipse confedit in patrio, collocavit æternam gloria  
& ineffabili lætitiã profundendum. Sic fuit Beatus LANGIUS  
noster, dum fuit. Nos, ut de superatis hujus vitæ miseriis  
Ipsi gratulamur, animæ felicitatem æternam, exuviis terras molles  
& lætam resurrectionem apprecamur: ita DEO ter Opt. Max. Domino  
messis, pro concesso salutari hoc organo, gratias agimus, & ut  
Ecclesiæ ac Scholæ hujus fulcimenta quæ superant conservare,  
vasa gratiæ nos efficere, posteritati Langianæ ex alto benedicere,  
fructuumque pietatis paternæ participes reddere velit, ardenter  
ingemiscimus. Interim Apostoli monitum secuti fidem Ipsius  
intueamur, & conversationis exitum, cui conformemur aliquando,  
invocante DOMINO, consideremus. Signata tum Theologiæ  
Studiofis, tum commissis oviculis vestigia reliquit plurima,  
quibus si pressius institerint, dubium non est, felices in  
studiis suis progressus, laborum præmia, tandemque coronam  
vitæ immarcescibilem esse consecuturos. Paucis: *Seminemus*  
cum Beatisimo nostro LANGIO pietatem messuri felicitatem  
tum temporalem, tum sempiternam.

D I X I.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines.

D I X I



2c: 29 85

ULB Halle  
004 709 08X

3



VD 77

H. U.







J U  
du  
*Admodum Reveren*  
&

# Christia

S E  
S. S. Theol. D

celeberrimo, Facult  
sistici & Nationis Mis  
ingenuæ Misnensis Deca  
legiato, Academiae Dec  
& dioeceseus huj  
Coll

*proximo post ascensu  
fuit emortualis, diem  
saria memoria loco  
qven*

HIERONYM  
S. S. T

Typis Hære

